

obstet, imprimis metus phthiſeos, aut vomitus
cruenti. Tusiſim inquit Hartman. Prax. Chym.
cum inveteratam, tum recentem, plerumque, ſi non
ſemper, curat vomitus. Vomitoria autem confici
poſſunt ex Tartaro emet, in aqua aſari ſoluto, cui
granum unum vel alterum rhabarbari vel rad. Ja-
lap. aut reſ. Jalap. granum unum poſſunt admi-
ſceri. Loco hujus etiam aqua bened. Rulandi,
aut ſirupus emet. Zwelff. aut oxifaſch. emeticum
Ludovici poſſunt aſſumi. Ubi vero, per ſuperiora,
materiam peccantem eliminare non licet, ibi pur-
gantia conveniunt, potiſſimum ex Mercur. dolci
cum rhabarbaro, radice Jalap. aut reſina Jalap. &
ſcammonii parata. Poſſunt etiam decocta, vel in-
fuſa confici, ex foliis ſenæ Alex. cum agarico, paſ-
ſulis, polypodio, ſem. aniſi, foenic. atque manna. His
vero præmiſſis, ad pectoralia eſt confugiendum,
ubi quidem pulmones per eſſentiam laborant. Ubi
vero per conſenſum afficiuntur pulmones, ibi re-
media affectui, qui tuſſim fovet debita, cum pe-
ctoralibus ſunt miſcenda. Sic ubi ſtomachus una
laborat, ſtomachica, ubi nervoſum genus afficitur,
nervina, & in phthiſi, & vomica, vulneraria, in he-
ctica, antihectica, & antifebrilia, in pleuritide bezo-
ardica, in hydrope, anticachectica, cum pectorali-
bus miſta, ſunt propinanda. Pectoralia vero ipſa,
quæ